

pistis multa adderentur tanquam Baptismi ornamenta, & signa potiora ipsa aqua, quale chrisma, sputum, cereus, & huiusmodi quædam nugæ, vt est in cano. Prima igitur. De consecrat. distinct. 4.

7 Negant resurrectionem carnis, quod illis est cum multis commune.

3 *Occasionem de Psalmo.*) Locus est Psalm. 19. versu 5. qui ad solem, cui Dominus in cælo domicilium posuit, non ad Christum pertinet. Id quod omnes linguæ Hebraicæ docti sciunt. Itaque legendum est, Soli in illis tabernaculum posuit. Sed imperitia Hebraicæ linguæ sæpe à veteribus erratum est.

C A P. L X.

Proclianitæ quibus successerint, & quid
senserint.

Proclianitæ secuti sunt istos, & addiderunt
Christum non in carne venisse.

I *Proclianitæ.*) Vtrum Procliani vel Proclianitæ dicantur, nihil interest. Ratio enim Grammatica patitur vtrunque. A Proclo enim vel Proculo (quod idem est: quem enim Græci Πρόκλον, Romani Proculum dicunt) deriuantur, qui superioris hæreseos defensor: huius autem autor & parens fuit. Quis autem hic fuerit (nisi fortasse is censeatur, qui Cataphrygarum erroris suspectus ab Eusebio commemoratur, libro 2. cap. 25. Historiar. deinde à Nicephoro lib. 4.) explicari non potest. Sed is ante Manetē & Manichæos vixit: hic noster postea,